



AN. XXI - N. 130.

MM. NOVEMBRI et DECEMBRI

AN. D. MCMLII

# Per Orbem

## V curriculum Salmanticense ad litteras fovendas

Ut superioribus annis Societas Hispana ad litteras fovendas in alma Pontificia Universitate Salmanticensi primum consessum die quinto mensis augusti habuit, sub auspiciis Exmi. ac Rmi. Dni. Francisci Barbado Salmanticensis Episcopi, remque moderante Domino Josepho Guillén. Ex dissitis Hispaniae locis professores et magistri circiter 135 e quindécim Dioecesibus et septendécim religiosorum Ordinum Collegiis Salmanticam convenerunt studio elati purius litteras humanas hauriendi. Magistri lectiones sic distribuerunt:

**Sectio latina:** Rdus. P. Salvator Salitjes, Sch. P., quinque lectiones de Catullo, de poëtis novis, de P. Thoma Viñas, Sch. P., eximio Venusiae vatis imitatore, habuit.

Rdus. P. Gregorius Martínez Cabello, C. M. F., in arte metrica admodum peritus, versuum Horatii pulcritudinem et varietatem descripsit.

Rdus. P. Franciscus Arredondo, S. J., miro ordine et doctrina de Sallustio, et homine et rerum scriptore, ac de ejus lexico et stilo locutus est.

Rdus. P. Josephus M. de Garganta, O. P., firma argumentatione et pulcra elocutione de christianismo et humanismo in humanarum litterarum splendore disseruit.

Dnus. Josephus Guillén, Pbr., Facultatis decanus et curriculi Moderator, audientium mentes arripuit nonnullis lectionibus: lingua Latina facillima est; linguae Latinae elaborata compositio; lingua Latina quod ad Indum-Europaeum spectat.

Dnus. Joannes Maluquer, Salmanticensis Professor, contionem mirabilem habuit de Romanis vestigiis archaeologicis in Hispania relictis.

**Sectio Hispanica:** Abhinc tres annos curriculum de lingua Hispana et litteris agit; hujus anni lectiones fuerunt:

Dnus. Josephus M. Mohedano, in Matritensi Universitate Professor, de poëta nostro Garcilaso de la Vega praesertim elucubrationem habuit, ejusque versus pulcritudinem ostendit.

Rdus. P. Didacus de Arrilucea, O. S. A.,

audientium animis nostrum Aloysium Legionensem, et ut egregium virum et scriptorem et nostrarum litterarum exemplar praebuit.

Dnus. Antonius G. de Lama, Pbr., pulcra elocutione omniumque plausu sollertissime disseruit praecipue de classicismo et de arte, quam Barocam vocant, in lyrica aureae aetatis.

Dnus. Aloysius López Santos, Pbr., de tempore renascentium nostrarum litterarum praesertim in Cervantesio, et maxime in praecipuo ejusdem opere, mira eruditione et amoenitate quattuor lectiones tradidit.

Dnus. Franciscus Maldonado, Matritensis Professor, una lectione vestigia de pseudo Quixote patefecit, suasque investigationes proposuit.

**Sectio Graeca:** Dr. Sebastianus Cirac, Pbr., in Barcinonensi Universitate Professor, Platonis dialogum *Phaedonem* sex lectionibus doctrina et claritate exposuit.

Rdus. P. Michaël Balaguer, Sch. P., scriptorum Graecorum nobilis commentator, de religione et mythologia nonnullas lectiones habuit.

Dr. Antonius Tovar, in Salmanticensi Universitate Professor, ejusque nuperrime Rector renunciatus, criticen textus in Aristotelis Rhetorica instituit, quam et accuratissime investigavit.

Dnus. Martinus Sánchez Ruipérez, Salmanticensis Professor, juvenili ardore, doctrina, et novitate quadam dictavit de metrica Graeca duas lectiones et tertia de syntaxi.

Die vicesimo quinto mensis augusti in Aula Magna Pontificiae Universitatis convenientibus omnibus magistris et alumnis, praeside Salmanticae Episcopo, et civitatis primoribus extremus consessus peractus est, in quo Dominus Al. López Santos traditionem Ecclesiae et Patriae de optimis litteris paucis verbis exposuit et Dnus. J. Guillén curriculi fructus et laborem summam significavit ac denique Exmus. Episcopus Dr. Barbado ad proseguendam et augendam Salmanticensem traditionem in his litterarum studiis est adhortatus.

CEBRIÁN BALLESTÍN, C. M. F.

# PALAESTRA LATINA

---

## De conjunctionum *quod, quia, quoniam* usu abolendo<sup>(1)</sup>

—in subjunctis propositionibus enuntiativis—

Demonstratum est, opinor, conjunctiones *quia* et *quoniam* particulae *quod*, saeculo p. Chr. n. III, aemulas accessisse atque inde ab eo ipso saeculo istas particulas sub influxu sermonis popularis et consuetudinis popularium provinciarum societate inter se inita cunctas cum verborum structura, quae accusativum cum infinito vocatur, de principatu acrius certare coepisse. Saeculis denique antiquitatis vergentis, quae merito Christiana dixeris, accidit, ut particulae plebi et popularibus provinciarum frequentatae, postquam per biblicorum interpretes civitate quadam donatae sunt, nullo reluctantante sese in eruditorum sermonem intulerint. Tamen non omnino evanuit accusativus cum infinito, sed eis praevallet locis quibus scriptores antiquitatis christianaes suas ipsorum cogitationes veluti de suo largiebantur. Sed utcumque est, labefacto semel accusativi cum infinito statu nostrae conjunctiones aliquid firmitatis nactae in dies insolentius sese efferebant. Documento sunt sermones romanici et nascentes et maxime adulti.

Illae deinceps particulae, quandoquidem cum imperii Romani decremto jam dudum in morem venerant, summis infimis jucundae, fluminis instar per totum medium aevum invehentes usque in multam renascentiae aetatem influxerunt. Immo vero media aetate etiam enuntiationes finales, consecutivae, desiderativae invita Latinitatis ratione conjunctionibus *quod, quia, quoniam* institutae sunt. Verumtamen ne cui suboriatur erroris opinio, etiam medio aevo inveniuntur, qui venustatem et suavitatem dictionis antiquae haud infeliciter imitati sint et tanta excellant castitate linguae, quantam ne exspectaverunt quidem legentes. In quorum numero sunt Hroswitha, Adamus Bremensis, Lambertus Schafnaburgensis, Joannes Sarisburgensis, Otto Frisingensis, Saxo Grammaticus, alii. Dominatur apud eos accusativus cum infinito.

Historiam usus particularum *quod, quia, quoniam* in subjunctis propositionibus enuntiativis per gradus adultam ab ipsis initiis repetere, quam bre-

---

(1) Cfr. fasciculum superiorem.

vissime potui, conatus sum. Demonstravi, quantam corruptionem per illas conjunctiones praepostere usurpatas medio aevo subierit lingua Latina.

Haec omnia si recte sunt et ad rerum veritatem disputata, in quaestione proposita pro sententia censeo particulas *quia* et *quoniam* in subjunctis propositionibus enuntiativis damnatas e libris ejiciendas et conjunctionem *quod* in eo solummodo sermone, quo cum amicis et familiaribus loquamur, caute et raro adhibendam esse.

Hic quosdam mihi audire videor dicentes me angusto esse animo et cantilenam humanistarum decantare. Esto! Concedo! Sed Augiae stabulo a sordibus labore paene Herculeo purgato nefas est —sic stat sententia— consuetudinem aegre excussam repeti et referri atque, ut brevi praecidam, particulis *quod, quia, quoniam* alieno loco positis integritatem linguae Latinae contaminari. Eos sane, qui hodie Latine scribunt, omni seposita ignavia ultro discere oportet orationem ad veterum formam exigere et componere. Hoc quoque modo assèquuntur, ut de suis artibus dicant commode. Meam vero sententiam eo pervicacius et fortius tueor, quod faustis auspiciis novam Scripturae sacrae Latinam interpretationem, postquam psalterium tersa, ne dicam, classica, Latinitate vestitum auctoritate Pii XII, summi Pontificis nunc feliciter regnantis, nuper foras datum est, nunc ipsum Romae a Pontificio Instituto Biblico adornari audivi. Quapropter in temporis ordine et ratione mihi peccare videntur, qui redire volunt ad medii aevi et antiquitatis posterioris auctores, quasi penes hos esset norma et arbitrium loquendi. Linguae nimirum Latinae usum restaurantes elevatiorem et litterarium sermonem affectare volumus et nobis comparare. Ne descendamus in dialectos et genera loquendi! Vernaculo sermone qui in libris scribendis utuntur, id utique non faciunt, sed cum subtilitate cogitandi utcumque elegantiam orationis conjungere student. Immo qui cogitationes suas litteris mandant, enixe omnem operam dant, ut delectatione et locutione alliciant lectorem et teneant suspensum. Atque quod in libris et commentationibus vernacula lingua exarandis valet, idem a Latine scripturis non solum expectandum, sed etiam postulandum est. Sin aliter, de omni jure scriptiōnis Latinae decedant. Qua de causa ego oro optoque, ne, qui hodie Latine scribunt, sub umbra auctorum minorum gentium delitescant, sed ut eos, qui omnium consensu optimi judicantur, scriptores et profanos et sacros tamquam exemplaria in manus sumant, sese tamen a Tullii imitatione anxia et superstitiosa temperantes. Sic, sic tandem aliquando futurum esse spes me tenet certissima, ut etiam ex theologorum et philosophorum libris manualibus et scripturis periodicis praeposterus usus particularum *quod, quia, quoniam* exterminetur.

### **De vi et natura veri humanismi**

Ab optimo auctore audivimus, quid esset Latinitas medii aevi atque quibus rationibus haec mediae aetatis lingua enutrita et progressa esset. Exposui

deinceps structuram accusativi cum infinitivo conjuncti usu particularum *quod, quia, quoniam* e vulgi sermone tamquam e medio sumptarum cum imperii Romani decremento magnam partem compensatam in desuetudinem omnino non venisse. Inde postremo eam, quae una fieri potuit, conclusionem effeci, ut viri docti qui hodie Latine scripturi sunt, ne in multas multorum reprehensiones incurrerent, conjunctiones *quod, quia, quoniam* ratione usurpationum puri sermonis habita optime utentes lingua Latina e libris ejicere et exauctorare deberent.

Quibus stabilitis, negotium mihi meum nequaquam confecisse videor, sed summa totius rei ad spinosam de humanismo redit quaestionem. Hic cardo est. Hic omnia vertuntur. Ideo rem saltem tetigisse juvat. Neque enim is sum, qui humanismum cultu quodam verborum et aucupio elegantiae cujusdam commendari atque in singulis verbis et loquendi formulis haerere velim. Di meliora... Ego vero, tantum abest, ut talem faciem humanismi probem, ut vim et naturam humanismi intimo quodam animi affectu contineri contenderim, quo nobis cum antiquis Graecis et Romanis affinitate conjuncti et ab iis tamquam parentibus ingenii et morum nostrorum profecti esse videamur. Est ergo humanismus ingenii forma et habitus. Neque tam potius interest, num plures sint scholae humaniores an pauciores —haec est res temperationis et disciplinae rei publicae— quam, ut omnes illum in pectore infixum habeant affectum. Verus porro atque germanus humanismus conectatur et jungatur oportet cum religione Christiana. Colere autem et exercere ejusmodi humanismum cum religione Christiana colligatum, quippe qui nota et forma occidentis sit, omnium Europae gentium est munus et debitum, ne unquam humanismus in discrimen revocetur. Proinde cum homines singulorum gentes Europae cunctae obligantur, ut magnum exemplorum thesaurum, quem veteres exhibent, cum fidelitate custodiant serventque et pro parte vim et ingenium antiquitatis Graecae Romanaeque sartam tectam tueantur in aevum. Si vero notioni humanismi tantam tribuimus potestatem et amplitudinem, prorsus merito jus de humanismo mediaevali loquendi nobis datum est idque eo magis, quod etiam medio aevo, ut supra demonstravi, fuerunt, qui orationem ad veterum formam data opera facere et componere soliti sint. Humanismus enim semper modestum ad optima et perfecta exemplaria antiquitatis relictum et compositionem orationis secundum illa exempla institutam includit.

JOSEPHUS HOLZER  
*Lebaci, Gymnasii Rector*

## “Latina lingua, gloria sacerdotum...”

Andreas Avenarius S. V. D. colendissimo P. Joseph Mir C. M. F., S. D.

Obtusum jam longinquitate erit quo te teneri VI kal. Augustas scripsisti desiderium cognoscendi, quid ego sentirem de illo dilectu vocum Latinarum et legibus a te in mensium Julii et Augusti fasciculo PALAESTRAE perscriptis. Quae abs te ad me data chartula erat, me invenit in valetudinario, quod est Sororum nostrarum in Monte Mario, non quod ipse curandus essem in molestiis alicujus aegrotationis, sed vices sustinebam feriantis illius instituti sacerdotis. Quod opinatus eram illic tempus fallere posse scribendis litteris quae responderent tot litteris et jam multos menses oculos vulneraverant meos et animum, et absolvendis aliis quibusdam officiis humanitatis, vehementer erraveram. Non tantum soles illarum sex hebdomadarum maximi me post quintam quamque horam officii curialis diei hora quartadecima flaccidum fessumque illis restituebant aedibus; quae illic me exspectabant obeunda, privata negotia cogitare non sinebant. Et illa semihora, quae post necessaria relinquebatur, legendis ego septem Arnobii libris tribuebam. Quod ego opus, cum antea nunquam legissem, illis ipsis diebus accepi ab humanissimo viro, professore et olim universitatis Patavinae magnifico rectore, et illis hebdomadis in valetudinario hospite, adeoque placuit genus loquendi, ut a lectione semel inchoata deinceps temperare non potuerim. Postea, cum me recepissem in hoc collegium et jam tertium decimum annum sedem fortunarum mearum, semper aliquid impedivit me, ne qua nasceretur responsio tuae chartulae. Tum etiam introducendus successor erat in illud officium scribatus, cui tredecim fere annos praefui, a quo ut discedere jam liceret, impetraveram. Placuit moderatoribus Societatis Verbi Divini, ut deposito munere reverterer in Germaniam, eumque reditum et Brenneri transitum meditator expectans litteras, quibus certior fiam, in quam me domum Germaniae inferioris cum mea sarcina conferre debeam. Quo cum venero, statim audies, quo in posterum PALAESTRAM et litteras meas inscribi oporteat; sed est verisimile Romae me mansurum usque ad proximum Majum mensem.

Spero te legisse quae Sanctissimus Dominus nuper dixerit in audientia concessa praeceptoribus Ordinis Carmelitarum de nostro Latino sermone quaeque refert «*Observator Romanus*» numero ducentesimo vigesimo secundo. En ipsa Pontificis suprema verba: «*Quantopere id nos delectat, quod ipsi vultis tirones vestros humanioribus litteris liberalius imbueri! Haec ad surgentia ingenia conformanda aptissima sunt, ut tum in cogitando et loquendo sit lucidus ordo et vana vitetur profluentia verborum, tum ut aliae praeclarae parentur cordati viri laudes. Hisce in studiis querimur quiddam contingere triste. Proh dolor, Latina lingua, gloria sacerdotum, nunc languidiores usque et pauciores habet cultores. Quis digne celebret hunc imperialem sermonem — βασιλικὴ γλώσσα a Graecis appellabatur — quae*

*vera non enuntiat sed sculpsit, quae in edictis et sententiis peculiari splendet gravitate, quae in Latina Ecclesia liturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loqui! Praeter haec utinam oriantur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti dicendi genere eam scribere valeant!*

*Enimvero Latina lingua, itemque et Graeca, cui tot ecclesiastica scripta jam a prisco christiano aevo commissa sunt, thesaurus est incomparandae praestantiae; quare sacrorum administer qui eam ignorat, reputandus est lamentabili mentis laborare squalore».*

Quam nos aliam, quam majorem exhortationem expectamus, ut, quidquid virium sit in nobis insumamus ad lamentabilem multarum mentium squalorem exhauriendum, praesertim cum idem Pontifex in laudibus vestris, Filiorum S. Antonii Clareti, recensuerit PALAESTRAM LATINAM?

Sed non haec, inquires, a te exspecto, Avenari, in quibus legendis partes tero pretiosi temporis. Ah! de illis eligendorum vocabulorum legibus quid sentirem volebas cognoscere. Scito mihi sic, ut constituisti, placere omnia, utpote quae eadem fere superioribus annis a nobis perorata sint. Quamquam ego, quae regula undecima praecipis, non tantopere adstringerem. Illa enim licentia moderanda est, non eorum, qui scribunt aliquid, aetate. sed illa, de qua scribunt, re. Sane equidem adolescentulis commendandam modestiam censeo, qua, priusquam aliquid in publico ponant consilia petant sintne voces ab eis novatae necessariae, an melior elegantiorque aliqua commendanda forma. Sic mihi etiam illud «complanatorium (numeri III) rugarum». quod in Germania «ferrum arcuatum» dicitur, quo fervefacto vestimenta et lintea laevigantur diligentius, quam fieri solet pressorio, «derugaculum» fere nasceretur, totaque illa actio esset «derugatio», neque dubitarem in perpetuo sermone dicere: «nunc etiam (vestiariam) strigilem cedo».

Sed video sermonem, si pergam, infinitum fere et sunt suscipienda alia. O, si licuisset triginta peractae aetatis annos huic uni rei vacare, ut colligerem, quae levarem reconditos in lexicis thesauros linguae Latinae, vocabula omnium temporum, vocabula recentioris cusionis, quae tam multa dispersa sunt et in commentariis Latinitatis dormiunt. Nam mihi crede, nisi illud doctorum virorum collegium congregabitur, quorum iudicio nova vocabula vel admittantur vel respuantur, quorum constantia atque industria e tenebris eruantur illi, quos dixi. thesauri, non is nostrorum conaminum erit fructus, quem esse volumus: ut, qui oculos habeant ad videndum, videant «basilicam linguam» non mortuam esse, sed jacere neglectam. Adeo jam res rediit, ut, quibus occupationibus non comparentur pecuniae, inutiles et nullius flocci judicentur. Ama me et vale. XIII kal. Nov. ex Urbe.

# Nova et Vetera

## II. — Capillorum cura apud Romanos

Natalicia T. Flavii hodie agitantur et omnes apud eum effuse exsultant; omnia ad convivium, ad amicorum et hospitem adventum parari oportet. Servi quaque per domum cursitant officii munia exsequentes.

È lecto quoque surrexit Terentilla filia, quae nunc tota in corporis cura exercenda incumbit et in primis in capillis comendis.



Adstant duae ornatrices Sempronia et Lucretia, alia a calamistro, alia vero ab unguentis. Sempronia summa est dexteritate in disponendis ornandisque capillis, quos interdum manu leniter inflectit, saepius vero calamistro — in cinere calefacto — convertit et vibrat; unum non esse ornatus genus apud nobiles matronas illudque saepe numero mutari novit, legesque capillorum edidicit. Ipsa enim tutulum — capillorum in conum congeriem in vertice capitis — componit; antias in frontem prodat, capronas ex temporibus in malas demittit, cincinnos varie effingit, quos pluribus ordinibus anulisque affabre confectis in orbem disponit, vel in partes discriminat, apte innectit et in spiram per caput ducit; Terentillae — quod aliae maxime gestiunt — displicet crinibus turratum verticem struere aut in flammeam nigram caesariem mutare.

Lucilla, ornatrix est ab unguentis, quorum curam et custodiam sedulo gerit. Myrothecium habet vel unguentorum scriinium in loculos divisum, ubi alabastra, pyxides, ampullae, gutti reconduntur. Saepe numero ad tabernam unguentariam accedit ubi myrobalanum, galbanum, malobranthrum amaracinum, panathenaicon, mega-





lium, in primisque nardum foliatum vel spicatum ab unguentario emit.

Rationem quoque ac leges faciem ornandi optime novit; sed Terentillae «faciem fucatam gestare, effigie mentiri» maxime displicet, et ideo pigmenta seu medicamina faciei, ut stibium, fuliginem, fucum, minium, purpurissum, cerussam, quibus abunde aliae utuntur, ipsa flocci non facit.

## VOCABULARIUM

Natalicia agitare,	<i>celebrar el cumpleaños</i>
totus incumbere in,	<i>entregarse de lleno a</i>
comere capillos,	<i>tocar, peinarse, hacerse el tocado</i>
manu inflectere capillos,	<i>ondular con la mano</i>
convertere calamistro,	<i>ondular con las tenacillas</i>
vibrare calamistro	<i>rizar</i>
tutulus, i, m.	<i>tocado cónico muy alto</i>
antiae, arum, pl.	<i>flequillo</i>
capronae, arum, pl.	<i>tufa</i>
cincinnus, i, m.	<i>rizo, bucle</i>
ordines, pl.	<i>andamiaje del cabello</i>
anulus, i, m.	<i>rizo - anillo</i>
in orbem disponere,	<i>ordenar, repartir en forma de corona</i>
innectere,	<i>trenzar, hacer las trenzas</i>
in spiram per caput ducere,	<i>colocar, disponer las trenzas en espiral sobre la cabeza</i>
turritum verticem struere,	<i>levantar la cabellera en forma de torre</i>
flammeus, a, um,	<i>de color rojizo, dorado</i>
myrothecium, unguentorum scrinium,	<i>guarda perfumes, estuche de perfumes</i>
alabaſter, tri, m., -trum, i, n.	<i>bote de perfumes, pomo</i>
pyxis, idis, f.	<i>botecito, frasco de perfumes</i>
ampulla, ae,	<i>ampolla, bujeta</i>
guttus, i, m.	<i>redomita</i>
taberna unguentaria,	<i>perfumería</i>
myrobalanum, i,	<i>mirobalano</i>
malobathrum, i,	<i>esencia de malobrato</i>
galbanum, i,	<i>gálbano</i>
amaracinum, i,	<i>amaracino, perfume de mejorana</i>
panathenaicon, i,	<i>perfume de Atenas</i>
megalium, i,	<i>especie de bálsamo oloroso</i>
nardum foliatum,	<i>perfume de hojas de nardo</i>
nardum spicatum,	<i>perfume extraído de la raíz del nardo</i>
pigmentum, medicamen faciei,	<i>cosmético, afeite</i>
stibium, i,	<i>tinte de antimonio</i>
fuligo, inis, f.	<i>tinte negro</i>
fucus, i,	<i>colorete</i>
minium, i,	<i>bermellón</i>
purpurissum, i,	<i>colorete rojo, de púrpura</i>
cerussa, ae,	<i>albayalde</i>
flocci non facere,	<i>no hacer caso</i>

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

# Sacratissimo Cordi Jesu in Sacramento amoris sui

## HYMNUS

O amor, amor, ardentem amas et quam parum amaris!  
(Verba S. Mariae Magdaleneae de Pazzis)

*Sicut umbrosas gemit inter ulmos  
Innocens turtur laceratus alis,  
lugubres questus vehementer icto  
pectore fundam.  
Frondei Cordis placida sub umbra  
Da mihi, Jesu, sedeam, calore  
Aestuans mundi, latebramque Cordis  
Fervidus intrem.  
Pignora ardentis tua caritatis  
Noctis in cena mihi quae dedisti  
Canticis ornem, redamemque, Jesu,  
Non redamatum.  
Mortis instabat properanter hora,  
Invocant caeli superas ad auras.  
Filiis cordis peramantis orbos  
Patre relinques?  
Omnia immensus superavit ardor:  
Vadis ad Patrem, soliumque celsum,  
Sed tuos numquam pretio Cruoris  
Deseris emptos.  
Pabulum Corpus, sine labe potum  
Sanguinem Cordis tribuisti amanter,  
Pignus aeternae benedictionis!  
Caelica dona!  
Qui Dei immensis opibus potiris  
Cujus est caelum, dare plus nequisti;  
Cumque sis Verbum Genitoris ipsum,  
Plus dare nescis.  
Qui maris fluctus religas potenter,  
Astra proculcans pede celsi Olympi,  
Mystico velo latitas, catenis  
Vinctus amoris.  
Luce contentus tremulae lucernae,  
Te vident mitem tumefacta saecla,  
Jugiter puram Crucis innovantem  
Hostiam in ara.  
Instar, o Jesu! peregrini egeni  
Corda propulsas hominum dolenter,  
Nec pudet portas agitare rursus,  
Cordium amice!*

*Qui valent rupes lacerare, questus  
Corda non possunt hominum ferire!  
Flensque respondes aditum neganti:  
Languedo amore!  
Te Deum cuncti redament Amicum,  
Te Redemptorem, Medicum, Magistrum,  
Nos sitis puras sitiamus undas  
Corde fluentes.  
Sed, tuae obliti bonitatis, acrem  
Cordis ardorem relevant aceto:  
Admovent mundi, miser! lutosi  
Fontibus ora.  
Tanta non mentem, latuere, Jesu,  
Crimina humani generis nefanda:  
Non aquae multae potuere Cordis  
Perdere flammam.  
Pectus o Jesu peramantis ardens!  
Te Deum caeli valide ligasti,  
Nescium vinci superasti Amorem  
Omnipotentem.  
Cor sacrum Jesu, benedicte fructus  
Cordis intacti Genetricis almae,  
Aula virtutum, Triadisque sanctae  
Regia sedes,  
Ecce nos omnes fidei obsequentes  
Corde transfixo tenet ardor idem:  
In sacro altari reparare fixa  
Vulnera Cordi.  
Omnium nostrum tibi jam reclusa  
Ure, Cor Patris venerande Jesu,  
Qua flagras, ferrum velut in camino,  
Pectore flammâ.  
Istud irrorâ juvenum viretum  
Cordis ad caelum saliente lympa:  
Floreat virtus patuloque mundo  
Tendat odores.  
Protinus regnum veniat suavis  
Cordis optatum super universum.  
Quod tuae laudi cecini, benignus  
Accipe carmen.  
Raymundus RIBERA, C. M. F.*

# Commercium epistulare

*Josephus Holzer Josepho Miro, amplissimo presbytero C. M. F. sal. plur.*

Quandoquidem de viro clmo. Josepho Jiménez curam longiore epistula egi, te, mi Mire, tangit ordo. Accipe meritas pro epistolio tuo lepido gratias. Namque scito nulla re affici me majore gaudio quam si mihi epistulae latine scriptae reddantur. Verumtamen non solum accipere epistulas cupio Latinas, sed etiam aequae libenter ipse scribito easdem. Id unum doleo, quod munere directorio saepius quam libet impediatur, quominus sensa communicem cum amicis. Ita fit, ut summo cum dolore procrastinare cogar litterarum debitum. Sic sunt humana: debita violantur officiis. Utut est, gratus sum fortunae, quod hanc epistulam scribere mihi licet.

Jam venio ad commentarium vestrum de litteris Latinis. Atque sacra cum invidia legi te Avenario meo gratificatum omnes fasciculos PALAESTRAE LATINAE misisse. Sic cum animo reputavi, quo pacto integrum PALAESTRAE LATINAE corpus in meam redigerem dicionem. Ne vero coniciam me in aes alienum, cui facultates meae non sufficiunt solvendo, preces tibi adhibeo de pretio integrae PALAESTRAE collectionis indicando. Insuper mihi animus non est te celare difficultates, quibus opprimimur in pecuniae cum exteris gentibus commercio legibus severis circumscripto. At Sarrensiū et Gallorum rebus oeconomicis et pecuniariis in unum collectis hae, quas significavi, difficultates superari possint, si rationes meas interventu unius alicujus vestrae Congregationis in Gallia sedis vobiscum exaequare liceat. Sic quam possum singulari studio a te peto, ut re aequa lance perpensa, quid tibi videatur, de hoc negotio ingenue animum aperias et tuas proponas condiciones. Scito me eas recusaturum non esse, nisi forte spe PALAESTRAE integrae frustrabor.

Sed communices velim mecum nomen et inscriptionem illius Congregationis Gallicae, cujus auxilio arcam quaestoris vestri augere nummulis meis in animum induxi.

Admiratus porro, quanta tu dexteritate recentissimas res verbis Latinis significasti, *nova et vetera* suavissimum in sertum conectens, incidi in cogitationem, tibi, mi Mire, rem implicatam proponere expediendam. Spectat ad vitae communia. Cognosce nomina Hispanica: 1 *archivador*, 2 *ordenador provisional*, 3 *carpeta para cartas*, 4 *prendederos*. Procudi in privatum usum: *tabellarum indumentum, epistularum regestarium, cartarum collectaculum subitarium, fir-maculum*. Videntur ea quae proposui, ad res significandas apta? Enuntia iudicium tuum libere et ingenue!

Certe etiam pueri Hispani *plantabulis* insistentes per vias prolabantur, de principatu interdum concertantes. Interroganti tibi, quid rei nuncupaverim *plantabulum*, explicabo sic: esse puerorum puellarumque lusoriam machinulam, ante et pone singula instructam rotula atque flexorio regibilem, cui

machinulae altero pede insistentes, altero protudentes prolabi nostros parvulos per vias laetabundos (Hisp. *patinete*). Neque periculum opinor fore, quin machinula, cujus compagem tibi ob oculos posui, confundatur cum pedirotis, quae sunt soleae rotis munitae. Quibus rotulis pedibus suppositis atque alligatis decurrunt pueri aequae ac puellae (Hisp. *patinar con patines de ruedas*). Habesne pro re meliora meae egestati substituenda? Epistula proxime ad me data tetigisti PALAESTRAE LATINAE inter collegas et discipulos propagationem et novorum subnotatorum comparationem. Rem tuam faciam meam. Simulatque plures adeptus ero fasciculos, ut eos quoquoersus distribuere possim speciminis causa, rem studiosius aggrediar. Excidunt pro tempore in meo gymnasio superioris ordinis alumni, quippe qui adhuc destituti sint disciplina Latina. Commendavi quidem per litteras collegis mihi notis commentarium vestrum, sed nondum responsum est. Unum saltem PALAESTRAE LATINAE conciliavi collegam, qui me oraverat ut ipse negotium tecum de re paciscendi susciperem.

Haec hactenus. Cura, ut valeas.

Lebach, V id. Jul.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. Dri. Josepho Holzer sal. pl.*

Litteris Latinis te adeo —ut scribis— oblectari gaudio et voluptati nobis est maximae; habes in PALAESTRA nostra LATINA praestantem locum ubi tua desideria facile compleantur, habes et perpetuos amicos et lectores.

Sacram illam invidiam cognoscens, tibi lepide subriseram...; amicos qui in arduo edendi commentarii nostri munere plures annos ab ipsis rei nostrae incunabilis nobiscum contenderunt atque naviter allaboraverunt, nonne uno alterove fasciculo libenter, si non splendide munerari oportet?

Rem sane difficilem attigisti: in tanta rerum minutarum congerie vocem aptam propriamque procudere; nam simul atque illam gaudens protulisti, ex foliis diurnis et usu recentiora rerum inventa a sapientibus excogitata edisces, quae re ab aliis parum forte discrepabunt, quibus tamen inventis novum indere vocabulum opus erit. Ea est, quae inter maximas rei nostrae adnumerari debet, difficultas... Cui solvendae saepe vocabula primum efficta —cum novae res proferuntur— opus erit recognoscere ac forte retractare ut totius rei pertractandae vocabula facilius dignoscantur ac distigantur.

Sic voces discriminarem:

<i>cartera de bolsillo</i>	pasceolus
<i>carpeta</i> [multiplicis formae]	chartarium; chartariolum
<i>cartera de mano, bolsa</i>	capsa, capsula [scholastica], marsupium
<i>carpeta para cartas</i>	epistularium, chartophylax
<i>archivador</i>	tabellarium, chartularium
<i>ordenador provisional (clasificador)</i>	scrinium, scrintolum, [scrinarium] subitarium

*Epistularium dixi*, nam sicut librum ubi Missae epistolae ordinate continentur, «epistularium» nominamus, ubi nostras vel amicorum epistulas recondimus, qua re *epistularium* quoque interdiceretur ne appellemus? Sin minus, placetne *chartophylax*?

*Tabellarium* scripsi *archivador* ex tabulis, scriptis litterisque quae ibi reconduntur, ac quamvis «tabellarius» fuerit qui tabellas seu litteras custodiret ac perferret, non videtur prohiberi capsulam tabellas custodientem *tabellarium* nominare; cui, si placet, et vocem *chartularium* adde.

*Subitarium* tandem vocavi *scrinium* vel *scrinarium* ex ipsa scrinii similitudine in quo litterae, scripta, similia custodiebantur.

Sensum vocis *prendederos* et usum apud vos non plane percepi; id tamen intellego quasi volsellas vel forcipes esse quibus scripta comprimantur ac sustententur; quod instrumentum ego appellarem *tenacula, orum* [*tenaculum*] et forte *tenaces, ium*.

Tuum «*plantabulum*» diu multumque animo versavi, ac pro nostro *patinete* succurrunt novae voces *curripedum* quod pedes currere facit vel *peditaculum* a verbo *peditare*, ex Glossario, cujus erit sensus: id quo pedibus pueri eunt —vel currunt—; tuum vero *plantabulum* vel *plantaculum* ad nostram *plantilla de zapatos* i. e. qua calceos cortice subereo, laneo, pelliceo alia quasi planta intus obtegimus ad pedis calorem conciliandum atque confovendum. Quid tibi, amice?

Tua *pedirõta* omnino placet, quamvis nos alias vocibus *calcei ferrei, labiles, rotati* usi simus.

Collectionem PALAESTRAE ab Administratore Barcinone degente postulaui tibi mittendam, qui et pretium significabit; ut totam collectionem tecum habeas enitar, quod tamen difficillimum erit. Cetera ex tuis litteris amice perficientur.

Propositas voces tecum expende, nosque, ut facis, ama et vale.  
Barbastro, VI kal. augustas, a. 1951.

## Epheborum · epistolae

S. Aloy. Brasero Rdo. Patri Jos. M. Mir, C. M. F., S. D.

Quas, interrupta lucubratione, compositiones elaboravi, et nunc ad te mitto, animo accipias benigno. Philosophiae aut omnino aut ex magna parte tempus adhibeo, ita ut debeo; quam ob rem haud immerito sermonis stilus minus patet expolitus. — Hae, profecto, minimae linguae Latinae compositiones animum magno opere oblectarunt. Aristotelis enim campus litterarum acer aridusque patet, quem si cum litteris Ciceronis conferimus, et eremus jucundum amoenumque viridarium et spina simul acuta venustus flosculus et aestuosa aestas suavissimum ver videbitur. Quare has, pro meo ingenio compositiones in Latii linguam translatas, recreare animumque quam maxime delectare, iterum tibi assero...

Celsonae, idibus octobribus, a. 1951

# Cursus gymnasticus

## GRATUS ANIMUS

Etenim, iudices, cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim quam me et gratum esse et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater omnium virtutum reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt?... Quae potest esse jucunditas vitae, sublatis amicitiiis? Quae porro amicitia potest esse inter ingratos? (Cic., *Planc.* 33, 80).

**Translatio.** — Pues, en verdad, jueces, aunque deseo verme revestido de todas las virtudes, sin embargo, nada hay que tanto ansie como ser y mostrarme agradecido. Puesto que ésta no sólo es la mayor de todas las virtudes, sino que es también la madre de todas las demás. ¿Qué es el amor filial, sino un afecto de gratitud para con los padres? ¿Quiénes son los buenos ciudadanos que prestan excelentes servicios a la patria en tiempo de guerra y de paz sino los que se sienten obligados por los beneficios? ¿Qué satisfacción puede haber en la vida sin las manifestaciones de la amistad? ¿Y qué amistad puede haber entre hombres ingratos?

## COMMENTARIUM

**Etenim** (καὶ γάρ): In conjunctionibus *et-enim* et *nam-que* inest particula copulativa (*et-que*) quae intimam cum oratione praecedenti ostendit conjunctionem eamque explicat, atque novam et praecipuam rei addere solet rationem; *etenim* frequentius quam *namque* a classicis scriptoribus adhibetur: «*Iste clamare coepit, dignam rem esse regno Syriae..., dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore qui ex clarissimis gemmis esse debebat*» (Cic., *Verr.* 2, 4, 28, 65). «*Etenim rem totam, iudices, breviter cognoscite*» (Cic., *Verr.* 2, 2, 69, 165).

**Cum:** Habet sensum concessivum, et respondet particulae *etsi* et ideo subiectivo coniungitur: «*Cui (senatui) cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est praescripta*» (Cic., *Fam.*, 1, 2, 4), [*aunque, por más que Catón...*] «*Graecia... cum... jam diu excellat in eloquentia, tamen...*» (Cic., *Brut.*, 7, 26), [*por más que Grecia...*]

**Affectum esse:** Verbum *afficere* (ac simili ratione v. *prosequi*) singulares et exquisitas loquendi formas habet quae varie apud nos convertantur oportet: *afficere aliquem maxima laetitia* [*causar la mayor alegría*], *afficere honoribus, beneficio, poena, ignominia, laudibus, honorificis verbis* [*ensalzar, elogiar*], *afficere exilio* [*desterrar*]. Sed potissimum in voce passiva usurpatur: *affici admiratione* [*admirarse*], *gaudio, voluptate* [*alegrarse, estar contento*], *dolore* [*sentir vivamente*].

**Cupiam:** Animadvertit discrimen: *volo* secum fert praecipue actum mentis aliquid perficiendi, quo libertas libere exercetur; *cupio* vividiorum animi motum significat; *desidero* denotat id quod animo requiro cum abest vel deest. Quamvis verba *volo, nolo, malo, cupio* duplicem admittant formam in infinitivo

i. e. simplicem infinitivum et infinitivum cum accusativo, hanc tamen extremam loquendi rationem consequuntur cum in oratione dependenti adsunt esse, *videri*, aut verbum in voce passiva: «*Sapientem civem me et esse et numerari volo*». «*Cupiam me affectum esse*». «...*Malim quam me et gratum esse et videri*».

**Et gratum esse et videri:** *Et... et*: duas voces aequae notatione dignas conjungit.

**Quod malim:** In verbo *malo* (*mag(i)s volo*) inest comparationis vis quae saepe subsequenti *quam* patet: «*Malo... me... vinci quam vincere*» (Cic., *Att.*, 8, 7, 2). «*Cato ipse jam servire quam pugnare mavult*» (Cic., *Att.*, 7, 15, 2). Ac sine particula *quam*: «*Civibus salvis et incolumibus rem obtinere malebat*» (CAES., *B. C.*, 1, 72).

**Enim:** «Post unum aut alterum verbum collocatur et continuat interdum orationem» (TURSELLINI). Illud est linguae Latinae maxime proprium ac peculiare orationes ope conjunctionum et relativorum inter se conectere atque jungere.

**Una virtus non solum maxima:** Converte: *No sólo es la mayor de todas las virtudes...* Vis superlativi augetur praesertim additis *unus, unus omnium*: «*P. Scaevolam unum nostrae civitatis praestantissimum audeo dicere*». «*Miltiades modestia unus omnium maxime floruit*».

**Reliquarum:** Discrimen tene: *reliqui* [los otros], qui remanent, qui residui sunt ex aliqua re; *alii* [otros] praeter eos que enumerati sunt; *ceteri* [los demás], in qua voce fere semper oppositio aut comparatio inest et ideo cum verbis *antecellendi, praestandi* potissimum jungitur: «*Multi hostium interfecti sunt, reliqui (residui) in fugam dati sunt*». «*Ego frumentum non pluris vendo, quam ceteri*» (adest oppositio).

**Pietas:** *Amor filial*. «*Pietas in, adversus deos*» (cf. GANDINO, *Lo stile latino*, 4, 1, 1). Saepe nomen abstractum Latinum apud nos declaratur substantivo cum subjuncto adjectivo: «*Consensus theatri*» (Cic., *Phil.*, 1, 12) *aplauso unánime del teatro*; *natura, disposición natural*; *praestantia, posición privilegiada* (Cic., *Amic.*, 70). *Consensus civitatis, el voto general de los ciudadanos* (Cic., *Phil.*, 14, 5). *Ardores, zona tórrida* (SALL., *Jug.*, 18, 9).

**Voluntas grata:** *Afecto de gratitud*. Adjectivum Latinum (*grata*) interdum in substantivum mutatur: «*Cannensis calamitas*» (Cic., *Brut.*, 3, 12), *el desastre de Canas*. «*Servilis tumultus*», *revolución de los esclavos*; «*campestre iter*» (CAES., *B. C.*, 1, 66, 4), *viaje por el campo*.

**Belli, domi:** *En tiempo de guerra, en tiempo de paz*. Animadvertit *domi* esse tantum locativum, non vero genitivum vocis *domus*; praeterea *belli* (aut *militiae*) fere semper conjungi cum *domi*: *domi bellicae, domi militiaeque; nec domi nec belli, domi et belli, cet.*

**Beneficia meminerunt:** *Que se sienten obligados por los beneficios*. (Cfr. etiam *beneficii memorem esse, beneficii memoriam conservare*).

**Jucunditas vitae:** ¿Qué satisfacción puede haber en la vida sin las manifestaciones de la amistad? aut ¿cómo puede ser placentera la vida sin las relaciones de la amistad? Quamvis voces abstractas vitare soleant Latini, tamen interdum nomini abstracto peculiaris inest vis qua locutio redditur vividior (Cfr. BERGER, *Stylistique Lat.*, 76), idque in primis fit cum pro adjectivo usurpatur substantivum abstractum, cujus qualitas digna est singulari nota: «*Aristoteles florere Isocratem nobilitate discipulorum videbat*» (Cic., *De Or.*, 3, 35, 141), melius quam *nobilibus discipulis* nam de nobilitate potius quam de ipsis discipulis est sermo. «*Nec, sine varietate doctrinae (varia doctrina) satis politus et sapiens esse orator potest*» (Cic., *Orat.*, 3, 21, 80). «*Cibum partim unguum tenacitate (tenacibus unguibus) accipiunt, partim aduncitate rostrorum (aduncis rostris)*» (Cic., *Nat. D.*, 2, 27, 122), non tantum de *tenacibus unguibus* ac de *aduncis rostris* est sermo sed in primis de ea qualitate quam habent *tenacitatis* et *aduncitatis* (Cfr. MAROUZEAU, *Formation du Latin Littéraire*, 121).

**Sublatis amicitii:** Sin las relaciones, sin las manifestaciones de la amistad. Praepositiones saepissime in participia convertuntur: amore captus, por amor: timore perterritus, de, por miedo: equo insidens, a caballo; exceptus scapha, en una barca; concha vectus, en una concha; «*mēns hominis constare potest vacans corpore*» (Cic., *Nat. D.*, 1, 10, 25), sin cuerpo. Item animadvertit hic numerum pluralem usurpari, ut in aliis substantivis abstractis, ad exprimendam repetitionem actuum quibus amicitia confovetur vel ad amicitiam quae ad plures amicos refertur (BERGER, *Stylistique Lat.*, § 11; ISSELÉ, *De Latinorum Sermonibus*, n. 25).

**Quae porro amicitia:** O qué, y qué, pues qué amistad: his particulis respondere potest porro praesertim cum orationem interrogativam praecedat: «*Quid porro tot victoriis praestabilius inveniri potest?*» (Cic., *De prov. cons.*, 12, 29). «*(Porro) saepe pro autem usurpatum continuat orationem: et cum autem aliquando conjungitur*» (TURSELLINI, *Particulae Latinae orationis*, c. 134; videsis ibidem alios ejusdem vocis sensus). De etymo hujus particulae confer lexica et PARIENTE, *Porro y cur, Emérita*, t. XII, p. 84 ss.

**Inter ingratos:** Entre hombres ingratos, entre gente desagradecida. Adjectivum quod personae qualitatem designat saepe substantivi naturam obtinet cum aut qualitatis possessorem indicat (*amicus, adversarius, senex, socius, miser*, cet.) aut ad plures personas refertur (*probus, sapiens, fortis*, et praesertim in pl. *boni, docti, probi, divites, pauperes*, cet.; confer BERGER, *Stylistique Lat.*, § 13, ISSELÉ, *De Latinorum Sermonibus*, n. 70).

JOS. M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.



# Bibliographia

A. WALDE - J. B. HOFMANN. — *Lateinisches etymologisches Wörterbuch* (13, 14, 15, 16, 17 Lieferung.) — C Winter, Heidelberg, 1950

Viris eruditissimis linguam Latinam peritus investigantibus id quidem pergratum erit lexicon etymologicum Latinum ab A. Walde exaratum et a J. B. Hofmann retractatum fore ut propediem ad exitum perducatur; quaterniones 13 17 nunc ad nos missi sunt qui vocem *semi* attingunt

Ceterum nemo est qui ignoret praecarios scriptores Walde et Hofmann inter lexicographos Latinos principem habere locum. In hoc enim dictionario, elucubrations, investigationes, studia quae nostrae aetatis etymologi contexerunt, amplissime continentur. Quicquid docte et erudite ab scriptoribus est disceptatum vel in controversiam vocatum in libro critica ratione exhibetur, ita ut lexicon etymologiae Latinae quasi historiam complectatur.

Summam scientiam — qua Dr. J. B. Hofmann ornatur — omni studio huic tertiae editioni contulit: quam ad linguae Latinae evolutionem exponendam ejusque, quam dixit, vitam in vocabulorum formatione et significationibus amplissime adhibuit et expendit. Quod maxime animum studiosi permovet est continua omnium linguarum Indarum-Germanarum relatio, quarum cognitio — sicut et scriptorum omnium qui de re etymologica agunt — summa in A. perhibetur.

Illud tamen facile perspicitur, ex nimia concisione quo opus est exaratum, magnam trionibus praesertim in pertractando lexico enasci difficultatem.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

JOSÉ GUILLÉN. — *Obras completas de Aurelio Prudencio*. Edición bilingüe. Introducción general, comentarios,

índices y bibliografía de Fr. Isidoro Rodríguez, O. F. M. — Biblioteca de Autores Cristianos Madrid, 1950.

Mirifice de bonis litteris apud Hispanos meritis professoribus Dno J. Guillén et P. I. Rodríguez, O. F. M. gratulamur quod opera Prudentii hispanice interpretata volumine a Bibliotheca Auctorum Christianorum (B. A. C.) pulchre edito nobis tradiderunt. Dnus. Guillén interpretationem et introductiones speciales exaravit; P. Isidorus R. introductionem generalem, commentaria, indices, bibliographiam, P. I. Rodríguez de vita Prudentii perspicue et erudite disserit atque scientificis rationibus et argumentis Prudentium Calagurritanum contendit; de Prudentianis quoque operibus, de indole poëseos christianae deque Prudentio in litteris superstite demum agit.

Dni Guillén vernacula interpretatio — opus sane fortioris animi et audaciae — non parvae ducenda est laudi, praesertim cum primus sit hispanice omnia Calagurritani vatis poemata interpretatus. Quod vero rationem reddit cur — in tantae molis opere — interdum mens nostri poëtae et cogitata non fideliter exprimantur. Quare nobis quicquam timoris inest ne forte auctores editionem aliquantum maturaverint. Nonnulla tantum de praefatione illa Prudentii fas sit excerpere et conferre hanc translationem cum Gallica quam Dnus. M. Lavarenne accuratissimus Prudentii investigator edidit, ut critici libero animo judicent; nos pauca tantum innuimus; similia in ceteris translationibus inveniuntur.

vv. 1-3: *Per quinquennia jam decem, — ni fallor fuimus; septimus insuper — annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.*

«Tengo en la actualidad cincuenta años». — «J'ai déjà, si mon compte est juste, vécu dix lustres; la révolution du ciel y ajoute pour la septième fois une

anné, pendant que je joue de ce soleil que roule sans fin autour de la terre...»

Interpretatio Hispanica nimis arcta et decolor videtur: circularis modus poëticae fingendi apud antiquos temporis nihil apparet.

vv. 4-5: *Instat terminus et diem — vicinum senio jam Deus adplicat*: «Se aproxima el fin, y Dios va mostrando a mi ancianidad el día vecino». — «Le terme de ma carrière est imminent; et voici que Dieu fait approcher de moi les jours voisins de la veillesse»...

«*Applicare*» idem sonat atque «*arcescere*», «*hacer llegar, acercar, traer a*»; dativus «*senio*» pendet a voce «*vicinum*», non ab «*adplicat*»; vir quinquaginta septem annorum non senex, sed senio appropinquare dicitur.

vv. 13-15: *Exin jurgia turbidos — armantur animos et male pertinax — vincendi studium subjacuit casibus asperis*.

«Luego, los pleitos predispusieron mi alma ya confusa y la funesta obstinación del triunfo forense me guió en multitud de casos escabrosos». — «Ensuite les procès fournirent des armes à mon caractère agité; une obstination mauvaise à vouloir l'emporter risqua de pénibles mésaventures».

Non attingitur vis verbi «*armare*», *dar, brindar armas*; nobis potius ardiret verbum «*subjacere*» non «*guiar*» sed «*arriesgarse a*», «*someterse a*», *vertere*.

vv. 32-34: *Dicendum mihi quisquis es. — mundum quem coluit mens tua perdidit — non sunt illa Dei, quae studuit, cujus habebis*.

«A ti, quienquiera que seas, debo advertirte que tu esperanza ha perdido el mundo que habita; no es de Dios, tu poseedor eterno, lo que has deseado». — «Il est temps de me dire: Qui que tu sois, le monde est perdu pour ton âme, ce monde qu'elle a servi. Ce ne sont pas les choses de Dieu qu'elle a goûtées et c'est à Dieu que tu vas appartenir».

Haec hujusmodi subobscura translatio in qua Prudentius non secum sed cum altero colloqui videtur, nemini pro-

babitur; huc accedit quod «*mensa*» in nota pro «*animo*», in conversione pro «*spe*» sumitur. Quid nunc «*mensa*» — velut «*spes*» — cum haec sit sperandarum et futurarum rerum cumque poëta noster ad praeteritum tempus sese referat?

vv. 34-35: *Atqui fine sub ultimo — peccatrix anima stultitiam exuat*.

«Enmiende, pues, el alma pecadora su camino al fin de la vida». — «Eh bien, tout à la fin de ma vie, que mon âme pécheresse dépouille sa sottise».

Nescimus cur expoliationis imago poëtica a lingua vigenti atque usitata ita sit aliena ut servare nequeat.

vv. 40-41: *conculcet sacra gentium — labem, Roma, tuis inferat idolis*.

«Que Roma pisotee los templos de los dioses y denigre tus ídolos (Sima co)». — «Qu'elle foule aux pieds des païens; qu'elle flétrisse, Rome, tes idoles».

Hoc loco *Roma* grammatice simplex vocativus est.

CHARLES ROSSET. — *Joas, Massilia*. Les Editions de l'Ecole, II, Rue de Sèvres - Paris, 6.<sup>e</sup>

In fasciculo 126 ephemeridis nostrae lectores certiores fecimus tum de selectissima bonorum Latinitatis auctorum collectione quam clmi. Dni. R. Morisset et Thénevoit ediderant, tum de jucunda libellorum triplici serie ad exercendos pueros in ediscendis grammaticae elementis et sermone Latino conserendo.

Praeter ea, duo acceptimus opuscula a Dno. Rosset etiam conscripta et superioribus indole similia; quorum titulus prostat: «*Joas*» et «*Massilia*». Et magistris et alumnis magnopere commendamus.

MEUNIER - PAUD. — *Grammaire Latine*. Toutes classes. - Editions Magnard. - Paris, 1950.

Domini Meunier et Plaud egregii linguae Latinae magistri hunc manuales Grammaticae Latinae libellum ad omnium scholarum usum ediderunt, in quo summa tum simplicitate sermonis, tum

vocabulorum proprietate, solida Latinitatis fundamenta jaciuntur. Totius operis ratio et variorum typorum dispositio studium Grammaticae gratus facillisque alumnis reddunt.

Volumen modum et indolem scholaris libelli servans, linguisticas et historicas res et facta moderate complectitur, quorum cognitio scite trorum mentibus accommodata e primordiis ad summa litterarum alumnos ducunt.

Opus ergo omnibus perutile, praesertim vero qui primis litteris imbuuntur, cum summatim et presse — neque idcirco obliter — disciplinam sermonis Latini attingat.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

M MINUCII FELICIS. *Octavius* Recensuit Michaël Pellegrino. — Q. SEPTIMI TERTULIANI *De corona liber. De cultu feminarum libri duo*. Iterum recognovit et praefatus est J. Marra — P. OVIDII NASONIS. *Fastorum libri VI*. Recensuit Carolus Londi. Editionem paravit alteram L. Castiglioni. In aedibus Paraviae. Aug. Taurinorum. 1951.

En tibi, lector, tria volumina quae editrix domus Paraviana in vulgus nuper emisit. Inter alia hujus criticae editionis merita sequentia libenti animo recensemus. Et primo quidem species ac nitor librorum maxime elucet et oculos animosque legentium delectant cum illa typorum accurata distinctione. Deinde, quod et praecipuum est, studiosis lectoribus magnae erunt utilitati tum disertae illae praefationes quae singulis libris praeponuntur — in quibus ea omnia quae ad auctorem, ad ipsum opus, ad dicendi genus, cet. pertinent, summo studio investigantur —, tum subjectae criticae notae, tum varii in fine operis indices, nominum, rerum, elocutionis.

Illud tantum monendum censemus variam adhiberi non nunquam rationem

in separandis sillabis in fine linearum; inveniuntur enim praeter communem rationem: *Christiano, quae-stuarium, nostri, adole-scere, ma-gnum*.

At haec quidem minima videntur praee aliis hujus criticae editionis meritis.

J. FERRERES. — *Compendium Theologiae Moralis*, quam recognovit P. Alfredus Mondría, S. J., Ed. 13.<sup>a</sup>, t. II. E. Surbirana, Barcinone, 1950

Hoc secundo volumine expletur notissimum Patris Ferreres opus, accurate recognitum ac novatum a Patre Mondría, Theologiae Moralis in Collegio Sancti Cucuphatis Magistro.

Opus in hoc secundo volumine sedulo et industrie renovatur atque perficitur. In eo P. Mondría difficillima quaeque, luce Moralis Christianae, solvit atque illuminat ac de illis omnibus, quae hujus temporis homines excogitarunt atque in medium protulerunt, iudicium profert, in singulis consistens ut conscientiarum moderatores, qui hominum animos dirigunt, instituat atque erudiat. His, quae recentioribus legibus, tum ecclesiasticis tum civilibus comparata sunt, utitur, ut quae a Sancta Sede anno nuper elapso edita sunt; quo evenit ut novata Theologia Moralis his, quae horum temporum res exigunt, perfecte accommodetur.

Ut melius librum pervolvere possis, perutiles in fine invenies indices qui rerum inquisitiones magnopere expediunt.

Ex quibus omnibus ac praeterea cum perspicua et accurata typographia opus commendat, non dubitamus quin novam P. Ferreres Theologiam lectores et praesertim sacerdotes grato animo sint suscepturi.

A. JESUS ASPA, C. M. F.

# Compositiones Vertendae

## AMOR CONYUGAL

Porcia, hija de Catón, como hubiese conocido la determinación (1) que su esposo Bruto había tomado (2) sobre el asesinato de César (3), aquella noche a la que siguió el día del sobremanera odioso hecho (4), habiendo salido Bruto del aposento (5) pidió una navaja de afeitar (6), como para cortarse las uñas (7) y se hirió con ella como si casualmente se le hubiese caído (8). Hecho después entrar (9) en la habitación por el alboroto (10) de las criadas, Bruto comenzó a reprocharla (11) el que se hubiese arrogado el papel de barbero (12). Al cual, a solas, (13) Porcia: «No es —dijo— temeraria esta acción (14) mía, sino la muestra más segura (15) de mi amor para contigo en esta situación nuestra (16); quise saber por experiencia (17), si te resultaban mal los planes (18), con cuánta sangre fría (19) estaba en disposición de asesinarme (20).

NOTAS: (1) *Consilium*. (2) *Capere*. (3) Póngase en forma concreta con el gerundivo *perficiendus*. (4) *Taeterrimum factum*. (5) *Cubiculum*. (6) *Cultellus tonsorius*. (7) *Ungues resecare*. (8) Por participio: *velut forte elapsus*. (9) *Revocare*. (10) *Clamor*. (11) *Objurgare*. (12) *Tonsoris praeripere officium* (13) *Secreto*. (14) *Factum*. (15) *Certum indicium*. (16) *Talis status noster*. (17) *Experiri*. (18) *Consilium alicui parum ex sententia cedere*. (19) *Quam aequo animo*. (20) *Ferro se interimere*, en perifrástica.

## CICERÓN (VII)

Los tres géneros de estilo (92): el sencillo (93), el medio (94), y el sublime (95) maravillosamente entrelazados y armonizados entre sí según las circunstancias (96), seguían todos los movimientos del pensamiento y se acomodaban a todas sus exigencias (97).

Cicerón habla con claridad y transparencia (98); es alegre y digno, ardiente, impetuoso (99); cuando conviene (100) usa abundantes imágenes y metáforas (101) que a manera de estrellas, como él mismo dice, van adornando el discurso (102); y cuando quiere llamar la atención (103) para que se queden más grabadas algunas verdades (104), echa mano de recursos externos más llamativos (105) y emplea frecuentemente aliteraciones (106) y consonancias de palabras (107).

NOTAS: (92) *Tria genera dicendi, tria sermonum genera*. (93) *Subtile*. (94) *Medium*. (95) *Grande*. (96) *Quocumque res postulat modo permixtus ac temperatus*. (97) *Sententiam sequi et ad omnem cogitationis motum mutari*. (98) *Plane et perspicue dicere*. (99) *Vehemens atque incensus*. (100) *Si ita res fert*. (101) *Frequentissime uti imaginibus ac translationibus*. (102) *Orationem illustrant quasi stellae quaedam translata verba atque immutata*. (103) *Attentum tenere auditorem*. (104) *Altius in animis atque mentibus imprimere*. (105) *Adjumentis uti externis o adjumenta quasi quaedam insignia ac lumina adhibere*. (106) *Litterarum immutationes*. (107) *Verba similiter conclusa eodemque pacto cadentia*.

Ordinarii ac Superiorum licentia

---

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

---

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregac in Ilerda Prov